

De sedo acri Linn. dissertatio / Carolus Fridericus Christophorus Guilelmus Schnizlein.

Contributors

Schnizlein, Karl Friedrich Christoph Wilhelm, 1780-1856.
Universität Erlangen.

Publication/Creation

Erlangae : Ex officina Hilpertiana, 1804.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ucgns5qq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

33

DE
SEDO ACRI LINN.

DISSERTATIO

QVAM

EX AVCTORITATE
GRATIOSI ORDINIS MEDICI

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

ATQVE

CHIRVRGIAE

LEGITIME OBTINENDO

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBMISIT

CAROLVS FRIDERICVS CHRISTOPHO-
RVS GVILELMVS SCHNIZLEIN

ANSBACENSIS.

DIE 17^{ta} MAII Junii.

ERLANGAE

EX OFFICINA HILPERTIANA MDCCCIV.

47162/P



PROOEMIUM.

Etsi plurimi auctores innumeros fere de plantis libros composuerunt, ad nostra tamen usque tempora plantae Germaniae indigenae ad hominum morbos sanandos minus quam par est adhibentur; quippe quum multarum vires, quae dicuntur, medicae, adhuc plane sint incognitae.

Multae autem praeterea sunt Germaniae plantae, quae, licet per longum jam temporis spatium in usum medicum vocatae, tamen nondum satis exploratae, aliae vero, quae jam oblivioni fere traditae sunt.

In hisce prae aliis planta habenda est in nostra terrae parte satis cognita, nempe Sedum acre Linnei, quae quidem in materiis medicis et vetustioribus et recentioribus inter

plantas sic dictas officinales refertur, non tamen a medicis adeo frequenter, ac meretur, adhiberi solet, quinimmo a rei medicae scriptoribus rarius laudatur, ita ut unus tantum notus sit auctor, qui peculiari libello de eo disputaverit, ejusque in carcinomate utilitatem exposuerit; scilicet b. PETRVS IMMANUEL HARTMANN, Medicinae quondam in Universitate literaria Francofurti ad Viadrum Professor, indiss. de Sedo acri Linn. ejusque virtute in cancro aperto et exulcerato, respondente STERNEMANNO Francofurti 1784 ventilata, quam vero nec vidi, neque in diariis literariis ejus mentionem factam reperi.

His itaque perpensis laborem haud inutilem me suscipere arbitratus sum, si de hac planta dissertatiunculam componere conarer, ut ad meliorem ejus, ut medicamentum consideratae, cognitionem nonnulla afferrem. Quod ut benigne excipiat lector benevolus, etiam atque etiam oro rogoque.

§. I.

Classis et Ordo.

In systemate sexuali Linneano, Sedum acre locum habet in Classe Decima, Decandria, ordine quarto, Pentagynia; cui ordini et Classi adnumerandum est ob flores hermaphroditos, staminibus decem, stylis autem quinque instructos.

Inter ordines naturales b. a LINNÆ Sedum reperitur in Ordine decimo tertio, Succulentæ, ejusque familia secunda.

In ill. A. L. de JUSSIEU. Generibus plantarum secundum ordines naturales dispositis, Paris. 1789. p. 307. Sedi genus locum tenet in classe decima quarta inter plantas Dicotyledones polypetalas, staminibus perigynis; et quidem in ejus ordine primo, Sempervivæ, les Joubarbes.

Characteres ordinis sunt sequentes:

„Calyx inferus, definite partitus. Petala imo calyci inserta, definita, calycinis divisuris numero aequalia et iisdem alterna, aut rarius corolla monopetala, tubulosa vel partita. Stamina totidem alterna petalis, aut dupla, quorum alterna petalorum ungui inserta, alterna imo calyci; antherae subrotundae. Germina plura, petalis numero aequalia, basi interiori juncta, exteriori glandulosa, glandulis interdum squamiformibus; styli et stigmata totidem. Capsulae totidem uniloculares, polyspermae, intus bivalves, marginibus valvarum seminiferis. Corculum seminis incurvum, farinaceo typo circumpositum. Caulis herbaceus aut suffrutescens. Folia opposita aut alterna, succulenta.

Praeterea in Observatione Sempervivas ab aliis distinguit idem:

Sempervivae, utpote perispermo seminis farinaceo instructae, accedunt tam Caryophyllis praecedentibus sub pistillo staminiferis, tum subsequentibus staminum

perigynia insignibus Saxifragis, Cactis, Portulaceis, Ficoideis, utpote polygynae a praecedentibus omnibus monogynis discrepant; utpote definite staminiferae a Rosaceis dissentiunt polyandris, et praeterea perispermo destitutis.

§. II.

Genus.

Ordini Sempervivarum ab ill. de Jussieu octo Genera adscribuntur, quorum differentiae ex additis subsequentibus characteribus patebunt. Sunt nimirum:

TILLAEA. (in Systemate sexuali ad Class. IV. ord. 3.) Corolla 3 - s. 4 - petala, petalis aequalibus. Calyx tris, quadripartitus. Capsulae 3 s. 4 polyspermae.

CRASSULA. (Syst. sexual. Class. V. ord. 5.) Calyx 5. phyllus. Petala 5. Squamae 5 nectariferae ad basin germinis. Caps. 5 polyspermae.

COTYLEDON. (Syst. sex. Class. X. ord. 5.) Calyx 5 - fidus. Corolla 1 - petala. Squamae 5 nectariferae ad basin germinis. Caps. 5.

RHODIOLA. (Syst. sex. Class. XXII. ord. 7.) Masc. Calyx 5 - partitus. Corolla 4 - petala. Fem. Cal. 4 - partitus. Cor. 0. Nectaria 4. Pist. 4. Caps. 4. polyspermae.

SEMPERVIVVM. (Syst. sex. Class. XI. ord. 6.) Cal. 12 - partitus. Petala 12. Capsulae 12 polyspermae.

SEPTAS. (Syst. sex. Class. VII. ord. 4.) Calyx 7 - partitus. Petala 7. Germina 7. Capsulae 7 polyspermae.

PENTHORVM. (Syst. sex. Class. X. ord. 5.) (Genus Sempervivis adfine. Lamark Encyclopéd. Art. Joubarbes, Sempervivis illud adscribit.) Cal. 5 - fidus. Petala 0 vel 5. Caps. 5 - cuspidata, 5 - locularis.

Ab his omnibus differt, Characterere
generico, essentiali,

SEDVM. Calyce quinquefido. Corolla
5 - petala. Squamis nectariferis quin-
que ad basin germinis. Staminibus
decem, Capsulis quinque.

Etymologia vocabuli: Sedum, obscura
est, praesertim si, quod Festus tradidit,
etiam Sadum ab antiquis fuit adpellatum.
A sedando illud derivandum esse, AMBRO-
SIVS in Phytolog. p. 24. auctor est, cui
consentit VENTENAT in Tableau du
Regne végétal tom. 3. p. 275. quod sci-
licet variae species dolores sedent.

Apud nos varia accepit nomina, pecu-
liaribus tamen speciebus potius propria,
quam generica; quare a cel. HOFFMANN
in Teutschl. Flora ed. 2, tom. I. p. 207.
latino nomine, in germanicam linguam
adoptato, *Sedum* dictum fuit.

§. III.

Sedi acris character specificus.

Seda omnia dividuntur in planifolia et teretifolia. Illud de quo jam loquimur, acre, teretifoliis est adnumerandum. Differt autem¹ ab aliis speciebus:

foliis subovatis adnato-sessilibus gibbis erectiusculis alternis, cyma trifida.
Linn.

Inprimis a Sedo sexangulari, specie ei prae aliis simili, probe est distinguendum. Vtrumque quidem facillime distinguitur sapore, qui priori, ut nomen indicat, est acris, fere urens, alteri herbaeus, subausterus. Structura tamen etiam suppeditat notas, quibus a se invicem distinguui possunt. Sedo acri folia sunt paullo majora, ovata, explanata; sexangulari longiora, magis teretia. Vid. icon. Sedisexangularis in CVRTISII Flora Londinensi Fasc. IV. no. 37. Tab. 225. ubi utriusque folia juxta se invicem accurate delineata sistuntur. Acri ea sunt alterna, in ramis florentibus magis distantia, in

junioribus adproximata, quintuplici serie per ramulos digesta; sexangulari confertiora, in sex series digesta, evidentissime antequam floreat. Praecipuum autem Calyx praebet characterem, a cel. SCHKUHRE primum observatum et in manuali botanico tom. I. p. 393. indicatum, tab. 123. vero iconibus *n. o.* expressum, qui in eo consistit, quod lacinae in Sedo acris basi sint solutae et gibberulo infra punctum insertionis descendant, in sexangulari vero hoc insertionis punctum infimum sit totius lacinae, neque haec basi gibbosa. — Non possum itaque LAMARKIO et POIRETO, v. v. cll. adstipulari, qui Sedum sexangulare solam varietatem acris esse opinantur, ille in libro: Flore Françoise vol. III. p. 86, hic in Dictionario botanico Lamarckiano, ad Encyclopaediam pertinente, Tom. IV. p. 633; quae HUDSONII quoque fuit sententia, in altera Florae Anglicae editione, Tom. I. p. 196. expressa.

Quum Sedum acre planta sit quoad formam omnibus cognita, non erit quod

fusius illam describam. Quibus volupe est
descriptiones evolvere, iis satisfaciunt
istae quas exhibuerunt

V. HALLER hist. pl. Helvet. 1. p. 415. n. 966.

BERGIVS mat. med. 1. p. 375. n. 238.

ROTH tentam. fl. Germ. 2. part. 1. p. 502.

POLLICH hist. pl. Palatin. 1. p. 438. n. 431.

SMITH Fl. Brit. 2. p. 487. n. 4.

ut eas taceam, quas sermone patrio edi-
dere variarum regionum scriptores.

Icones antiquiores lignae pleraeque
parvi sunt momenti, bona vero illa GES-
NERIANA, quam Epitomae suae inseruit
Ioach. CAMERARIUS p. 856. et repeti cu-
ravit b. SCHMIDEL in op. GESN. parte
prima Tab. XII. Fig. CVIII. — Aeneas
figuras praestitere

CVRTIS Fl. Lond. fasc. I. no. 4. Tab. 32.

BULLIARD Herb. de la France Tab. 34.

BLACKWELL herb. cent. 3. Tab. 232.

SCHKÜHR Handb. 1. Tab. 123.

E quibus duae priores praestantissi-
mae sunt et pulcherrimae, secunda vivis

coloribus impressa. Alias quæ jam ad manus non sunt, sicco quod ajunt pede prætereo.

Nomen vernaculum usitatissimum est *Mauerpfeffer*. Alia nomina germanica habet illustriss. quondam Comes MATTVSCHKA in Fl. Siles. 1 Th. p. 395. Circa Erlangam adpellari solet *Taubenkropf*, *Taubenwaiz*.

Nomina pharmaceutica sunt *Sedum minus*, *Sedum vermiculare*, *Illecebra*, reliquæ tamen non omnia eodem ubique sensu usurpari solent.

§. IV.

Loca natalia, Solum.

Provenit *Sedum acre* per totam Europam, in regionibus planioribus, montosis, alpinis etiam. Non aversatur regiones frigidas, quum LINNEO et GUNNERO testibus, in Norvegia septentrionali cre-scat. Habitat etiam in Islandia, teste ZOEGA in Flora Islandica, OLAFSENII et POVELSENII itinerario Islandico adjuncta, et

MOHR II hist. nat. Isl. p. 184, ex cujus relatione ibidem interdum gigantea reperitur eademque longe acerrima. Inter plantas tamen Spizbergae et Groenlandiae, passim recensitas, non commemoratur. In regionibus meridionalibus Europae parcius occurrere videtur. In Asia illud profert Sibiria australis ad fl. Irtysem in Soongaria, referente FALKIO in libro: Beyträge zur topogr. Kenntn. des Russ. Reichs, 2r Band, p. 181. in Flora Sibirica GMELINIANA enim non reperitur. Crescit etiam ad lacum Baikal in Sibiria orientali.

Circa Erlangam planta nostra ubique invenitur. Provenit autem tam in planitie sabulosa, quam in collibus apricis, ad vias, margines agrorum, in aggeribus, ad margines sylvarum, ad sepes atque dumeta, quin etiam ad domos, et in tectis, in muris (unde nomen Germanicum derivandum) rupibusque, de quibus interdum eleganter dependet.

Solum ei praecipue convenire videtur arenosum, siccum, paullum elatum.

In terra pinguiori, humo, argilla, inveniri quidem solet, at rarius.

Est planta perennis, quam raro solitariam invenimus, in caespitibus potius crescere solet, eaeque solae plantae, quae nuper e seminibus ortae fuere, solitariae inveniuntur.

Prae aliis haec planta humore ex aëre hausto nutriri probatur, quum maximo aestatis calore non adficiatur, quin etiam laetius crescat. Quid? quod vel in ea e terra evulsa per longum tempus vegetatio non interrumpatur, sed crescat potius et florere pergat. Quam ob rem rustici Scani corollas ex hac planta plectere et supra mensas suspendere solent, ubi per totam aestatem in auctumnum usque floret; ut LINNEVS in itin. Scan. p. 221. refert. Id modo, ut in aliis ejusmodi plantis, observatur, quod ima folia primum et prius marcescant et decidant, quam si in loco natali planta mansisset. Post haec altiora folia decidere solent, et sic porro.

Ex hac Sedi acris vi humore ex aëre hausto vitam servandi, difficultas

quoque oritur illud exsiccandi. Quare si pro herbaria collectione praeparandum est, prius aquae fervidae immittatur, tum inter chartae bibulae philyras facile citoque siccaripotest.

Primo vere surculi novi proveniunt, qui quidem mox acredine sua ab aliis ejusdem generis speciebus distingui queunt. Junio et Julio mensibus florere incipit, et in serum usque auctumnum pergit. Semina matura e fructibus supra dehiscen-
tibus defluunt, tumque caules sensim marcescunt.

§. V.

Experimenta chemica cum Sedo acris instituta.

I.

a) Sedi acris unciae octo in retorta vitrea, addita aquae destillatae libra una, destillabantur. Quod transierat, odore atque sapore communi herbaceo erat praeditum.

Aër omnis atmosphaericus quum e retorta expulsus esset, aqua calcis recens

in excipulum immittebatur, cujus aquae superior tertia pars altero die turbefacta adparuit.

b) Sedi ejusdem unciae octo e retorta, aqua nulla addita, destillabantur. Chartis autem, Haematoxylo, Malva et Curcuma tinctis, ad explorandam acidi vel Ammonii praesentiam admotis, nulum eorundem vestigium se ostendit.

II.

Sedi acris librae octo, ante florescentiam plantae collectae, a radicibus aliisque sordibus probe mundatae, prelo commissae, edebant succi libras tres, cum unciis quatuor, drachmis sex. Remansere librae quatuor, unciae quinque, drachmae quatuor.

Succus modo expressus, atrovirens, turbidus, ad consistentiam Syrupi evaporatus, loco umbroso frigido, aëri pervio, crystallisationis caussa exponebatur. Sed solummodo massae paullatim exsic-

cantis superficies in apices obtusissimos pyramidum quadrilaterarum, elevari videbatur, qui vero vix discerni poterant. Praeter hoc nullum salis vel crystallisationis vestigium adparuit.

III.

Librae duodecim Sedi acris recentis, quod florere incipiebat, neque tamen flores jam apertos ostendebat, expressae, dabant succi libras octo, uncias tres, drachmam unam cum dimidia. Quod remanserat, erant librae tres, unciae duae cum drachmis quatuor.

Succus modo expressus in partes dividebatur aequales, quarum singula ad unius librae remanentiam evaporabatur. Prima harum, evaporatione continuata et absoluta, succi Sedi inspissati relinquebat uncias tres cum drachmis septem.

Alteri parti ad unam libram evaporatae, alcoholis libra una affundebatur; quo facto, coagulatione orta, fluidum colorem et fere consistentiam lactis habuit. Ita per sex dies intactum sepone-

batur, quorum decursu gummi in succo contentum a resina separabatur, tandem materia sic dicta extractiva relictæ. Resina alkohole soluta accurate decanthabatur, et evaporatione ab alkohole liberata, pondus habebat unciae dimidia.

Evaporatione, solutione in aqua, novaque evaporatione separatae sunt gummosi drachmae quinque cum scrupulo dimidio.

Quae supererat materia extractiva, habebat pondus unciae unius cum drachmis duabus scrupuloque uno.

IV.

E duobus Sedi acris succi expressi libris, ita tractatis ut materia albuminosa cum parte amylacea separaretur, accepimus:

Materiae albuminosae drachmas tres
cum granis 45.

Amyli drachmas duas cum granis 40.

Hic quoque salis cujusdam nullum adparuit vestigium.

V.

Supra furnum duae librae Sedi acris recentis ad plenariam exsiccationem usque torrebantur. Ponderabat omnino siccatum tantum uncias quinque. Comburebatur tum igne aperto, quo facto carbonis unciae tres cum drachmis tribus restabant. Combustione sub fornice docimastico (Muffel) continuata tandem in cineres abiit, drachmas tres cum scrupulo dimidio ponderantes, coloris albid.

Lixivio e cineribus facto, eoque inspissato, salis enixi albid grana duodecim obtinebantur. Residui cineris pondus erat granorum trium. (Grana duo, quibus aucta erat massa, ab humore quem sal attraxerat provenisse videntur).

VI.

Sedi acris succo expresso recente solutioni aquosae vitrioli martis instillato, nulla oboriebatur praecipitatio, multo minus praecipitatum nigrum in ea conspiebatur, sed succus solummodo colorem

brunescentem adsumsit. Quod etiam succo aliarum Sedi specierum contigit, ita tamen ut color modo esset dilutior, modo saturatior. (Infusum aquosum Sedi acris, luteum, vitriolo martis adjecto colore non mutatum esse, observavit BERGIUS mat. med. I. p. 376).

VII.

Praeter ea, Sedi acris Spiritus et Essentia praeparabantur. — Experimentorum modo enumeratorum curam Cel. Pharmacopoeus et Assessor FRISCHMANN, benevole in se suscepit.

§. VI.

*Consectaria ex chemicis experimentis deducta,
cum praeparatorum descriptione.*

1. Sedum acre permagnam aquae quantitatem continet, quae experimento V. probatur, quo a libris herbae recentis duabus post exsiccationem tantummodo unciae quinque supererant; partes itaque $\frac{1}{2}$ $\frac{2}{4}$ aquae et principii odori adfuisse patet, quod odore et sapore gramineo in experimento I. probatur.

Ex eodem primo experim. concludi potest, nihil omnino olei aetherei in eo inesse. In succo expresso pariter nullo modo olei pinguis vestigium detegebatur.

2. Libra una succi expressi amyli continet, teste Experimento IV., drachmam unam, scrupulum dimidium.

Amylum quidem non erat purum neque album, neque ab odore herbaceo aequae ac colore atroviridi succi expressi liberari poterat.

Probante Experimento II. herbae recentis librae octo continent succi libras tres, uncias quatuor et drachmas sex; at secundum IIIum experim. ubi planta fere florens recipiebatur, succi major portio, scilicet plus quam $1\frac{8}{2}$, obtinebatur.

E succo expresso, spisso atque turbido, amyllum lentissime fundum vasis petebat; ab albumine perdifficile separari, neque colla ex illo obtineri poterat.

3. Albuminosae materiae drachmam unam et grana 47. in libra una succi expressi contineri, experimento IV. didicimus. Haec tamen multum adhuc odoris nauseosi ipsius succi habebat et aliquid saporis austeri, atque colorem saturate viridem.

Salis essentialis nullo modo quidquam inveniri poterat, quemadmodum neque Experimento IV. huc etiam pertinente.

4. Quantum experimento III. et resinae et materiae extractivae obtentum fuerit, supra jam est allatum. Gummosum e planta acceptum, licet omni adhibita opera, coloris erat fusci, tenax, et a sapore acri plantae non omnino liberatum. Pars vero resinosa magis fusca rubescens tenacissima, saporis acerrimi, amari atque nauseosi; eique valde similis erat materia extractiva.

5. Experimento primo Acidum carbonicum haud magna copia Sedo acri

inesse, turbatione aquae calcis ad $\frac{2}{3}$ facta, constitit. Carbonis autem puri planta continet unciam unam, drachmas tres cum granis 55 in libra una herbae recentis, teste experimento V. ubi igne vehementiori carbo a cineribus expellebatur.

6. Sal, quinto experimento repertum, forma definita non adparebat; nil erat nisi pulvis ex albo griseus. Ex sapore Kali carbonicum esse videbatur.

7. Succus inspissatus Sedi (n. III.) coloris erat fusco viridis admodum saturati; saporem omnino habebat acrem totius plantae.

Spiritus Sedi sapore erat debili, urente, odore suavi, tamen etiam debili.

Essentia Sedi, turbida, colorem habebat obscure fuscum, in rubrum abeuntem. Sapor erat urens, acrior magisque ingratus quam sapor plantae recentis; sensum quoque eundem ingratum in palato et faucibus, adhuc majori gradu, efficiebat.

8. Experimento VI. compertum est, principium plantae acre in acido gallaeo non consistere. Alia vero experimenta, inprimis tertium, et essentia Sedi (n. VII.), demonstrant, materiam illam acrem praesertim in resinosa plantae parte, et in materia extractiva haerere, ab iis tamen non separandam, neque accurate discernendam esse. Principium acre Sedi non esse volatile, praesentia illius in resina atque materia extractiva pariter probat. Sedum acre itaque istis plantis jure meritoque adnumerandum est, de quibus illustr. HILDEBRANDT, Praeceptor summopere colendus, in libro: Encyclopaedie der Chemie (1. Th. 6. Heft. §. 1696.) dicit:

„Ab illis autem (plantis §. 1695. consideratis, principium acre volatile, nec resinosum, continentibus) plantae illae sunt discernendae, quae quidem non minus effectus illos, modo (§. 1605.) nominatos, proferunt, (nempe saporem acrem, sensum ardentem in

ore, palato atque faucibus rel.), sed vi resinae in ipsis contentae, et exsiccatione quoque acrimoniam non perdunt.“

Plantis narcoticis vero adnumerari nequit.

§. VII.

Vires Sedi acris medicae.

In variis dispensatoriis, et libris de materia medica conscriptis, Sedum acre plane omissum est. Qui illud operibus suis inseruerunt auctores, vires ipsi tribuunt irritandi, resolvendi, emesin et catharsin ciendi, diuresin et sudorem movendi, si interne sumitur; externe rubefaciendi et vesicas excitandi. Conf. BOECLERI contin. secunda Cynosurae mat. med. HERM. p. 418. LINN. mat. med. ed. 5. p. 140. BERG. mat. med. 1. p. 376. VICAT mat. medicale 1. p. 331. MURRAY apparat. medicam. 3. pag. 344. rel. Succus expressus emeticus et fere drasticus est, agit violenter si cochlear unum

alterumve detur, teste BERGIO l. c. SIM. PAULLI teste ejus tempore ut emeticum a rusticis in Dania adhibebatur: dissuadet tamen usum delicatioribus. Vid. ej. Floram danicam p. 258.

Ob copiosam resinam in eo repertam, nostro tempore merito haec planta remediis quae dicuntur incitantibus permanentioribus iisque acrioribus erit adnumeranda.

§. VIII.

Morbi quibus Sedum acre medetur.

Adfectus et morbi in quibus Sedum acre cum fructu adhibitum fuit, sunt potissimum sequentes:

Clavi pedum. His, cataplasmatibus instar impositum, efficit ut corrodantur et laminatim decidant, teste KRAMERO in Med. castrens. P. II. p. 146.

Strumae. In his laudatur a medicis antiquioribus Anglis; DALE pharm. p. 248.

BLACKWELL cet. interne datum; an recte?

Odontalgia, a dente carioso cavo orta. Male vero nonnulli eam tolli posse credunt Sedo saltem amuleti modo adpenso.

Podagrici et Ischiadici dolores. In his summe laudatur, ut docet BOERHAAVIUS in hist. plant. p. 369.

Ulceræ varia, imprimis cancrosa, carcinoma occultum et apertum. Vlcus scirrhum mammae, usu externo succi, sanavit cl. LE CAT. Vid. Equit. de HAVTESIERK Recueil d'observations de médecine des hôpitaux militaires Tom. I. Paris 1766. p. 388 sqq. Prae aliis in ulcerum variis generibus, etiam venereis, et praecipue cancro, Sedum acre felicitate, ut b. HALLERI verbis utar, fere incredibili adhibuit FRANC. NIC. MARQVET, Medicor. Nancejensium olim Decanus, idem qui pulsus characteribus musicis exponere docuit; et de experimentis exposuit in binis libel-

lis, quorum alteri titulus: Observations sur la guérison de plusieurs maladies notables aiguës et chroniques, Paris 1750, alteri: Mémoires sur l'illecebra ou la petite joubarbe, impresso cum PET. JOS. BYC'HODZ Médecine rurale et pratique, Paris. 1768. et aucto in Ejusdem BYC'HODZII Lettres périodiques sur les végétaux Tom. II. Paris. 1769. epist. 43. p. 335 sqq. Summam experimentorum tradidere HAL- LERVS et MYRRAY in libris supra lau- datis. Adplicatur succus, injectione et in linteo carpto; etiam unguentum ex con- tuis foliis cum oleo lini paratum. Con- firmavere utilitatem Sedi acris in ulceri- bus cancrisis, cll. DARBOIS, et DORON, qui efficaciam hujus plantae in ulceribus quoque cacoëthicis venereis eximiam sum- mis extulit laudibus. Conf. cl. BYC'HODZ lettres périodiques sur les végétaux tom. II. l. c. et III. p. 225. qui et ipse magnus Sedi acris laudator exstitit. Clariss. vero COSTE et WILLEMET in ea sunt opinio- ne, illum hanc herbam fere nimis extu- lisse. Vid. Eorum Essais botaniques

Nanc. 1788. p. 83. Cl. GYROT vim dolores mitigandi, quam Sedum acre ostendit si ejus succus in cancro aperto applicatur, laudat in Recueil des pièces qui ont concouru pour le prix de l'Académie roy. de Chirurgie tom. 2. Paris. 1757. p. 234 sqq.

Caro luxurians consumitur a Sedi acris succo recenti vel decocto, leniter tamen, ut docet KRAMER in Medicina castrensi P. II. pag. 78.

Tumores scrophulosos, Fistulas, Tineam, Scabiem retropulsam, Gangraenam Sedo acris vel sanata, vel saltem levamen aegris adlatum esse, MARQVETVS antea laudatus etiam expertus est. Vid. ejus et BVC'HODZII libri supra allegati.

Hydrops. Hunc Sedi acris herba in cerevisia decocta, apozemate ad uncias duas dato, sublatum fuisse, refert BOERHAAVIUS in hist. plantar. p. 369 et ex Blairio HALLERVS l. c. In Gangraena sicca hydropici proficua deprehensa est

ab eodem MARQVETO, ad malum cohibendum, cum aqua et melle cocta atque ter seu quater quotidie adplicata.

Febres intermittentes. Ad has sanandas Chirurgum militarem TERNAY medio seculo elapso, Marstrandiae in Suecia bono successu Sedo acri usum esse, b. a LINNE refert in itin. Westrogothico p. 180. Herbae manipulus in cerevisiae libris duabus ad dimidiae partis consumptionem coquebatur, aegroque hujus decocti portio hora ante accessum propinabatur, unde plerumque vomitus sequi solebat. Conf. b. viri amoenitat. academicae vol. IX. p. 158., ubi quoque, ut in opere b. MURRAY, e LANGII remed. domest. p. 119. 120. refertur, succum expressum ad cochlear dimidium, hominibus robustis in ducatu Brunsvicensi contra tertianas bono cum effectum dari. Hoc modo exhibitus interdum etiam vomitum ciet. Idem succus in Suevia quoque ab hominibus tertiana et quartana laborantibus jejunis summo mane, ad cochl. integrum, sumitur, ut refert D.

WEINMANN in diss. inaug. sistente Fasciculum plantarum patriae urbi (Reutlingae) vicinarum sponte crescentium cum usu eorundem plebejo, Praeside PHIL. FRID. GMELINO Tubingae 1764 ventilata, p. 8.

Morbi pectoris. In his, distinctius non indicatis, ab Islandis adhibetur decoctum cum lacte paratum, ex relatione MOHRII in libro supra laudato p. 185.

Scorbutus. Adversus dirum hunc morbum Sedum acre seculo decimo sexto jam a FVCHSIO commendabatur, lacti incoctum et mane ventriculo adhuc vacuo haustum. Sequenti seculo has hujus plantulae laudes compluribus experimentis confirmavit D. BERNHARDVS BELOW, Christinae Sueciae Reginae Medicus, quum copiarum adversus Danos bellum gerentium curam anno c1o1o cXLVI gereret; quo magnum militum, eo morbo et gravissimis symptomatibus laborantium, numerum feliciter restituit. Id factum est

herba recente in cerevisia vetere, ea proportionem ut singulis istius manipulis librae hujus singulae responderent, ad dimidiae partis consumptionem cocta, cujus decocti tepidi haustus, trium quatuorve unciarum, quotidie ventriculo jejuno aegroto propinabatur. Vsum sequebatur vomitus, citiusque sanitatem recuperabant qui facilius copiosiusque vomebant. Ulcera et contracturas in pluribus aegris eadem herba in cerevisia cocta, et stomachacem dentesque vacillantes decocto praedicto calido cum alumine rosarumque melle juncto sanavit; quae fusius ipse narravit in *Miscellaneis Acad. Nat. Cur.* Dec. I. ann. VI et VII. obs. 22. p. 49. Vt itaque mirandae non sint laudes, quibus ETTMULLERVS et MICHAELIS postea in eodem morbo illam ornarunt, teste BOECLERO l. c. p. 418. Eo tempore, quo LINNAEVS iter per Westrogothiam fecit, Chirurgus militaris supra laudatus decocto Sedi, Belowii methodo sed additis summitatibus Pini sil-

cujus jussu experimenta cum hoc Sedo in dicto nosocomio suscepta sunt, in Novis Actis Acad. Reg. Scient. Holmiens. vol. VI. an. 1785. p. 228. 229. refert. Paralysin scorbuticam, evacuato per vomitum multo viscido ope decocti Sedi acris, curatam commemorat Archiater de FISCHER in Nov. Act. Acad. Nat. Cur. Tom. III. p. 218. Etsi ex hactenus dictis facile concludi possit, Sedum acre omni Scorbuto mederi, inprimis tamen in terrestri, eo-que sporadico s. frigido, ut b. SELLE eum adpellare proposuit in Medicina clinica ed. sept. p. 129. commode non solum, sed quoque saluberrimo cum successu usurpari poterit. Id quod gemino casu, a Praeceptore summa pietate semper colendo, perill. Consil. int. et Med. Reg. WENDT, observato, et, qua erga me est benevolentia mecum communicato, me corroborare posse vehementer laetor. Vtrumque ipsis venerandissimi Praeceptoris verbis, a me in latinum sermonem translatis, sequenti paragrapho proponam.

§. IX.

I.

„Tum modo Scorbutus in praxi medica apud nos occurrit, si homines illo adfecti, e regionibus septentrionalibus venientes, vehementia morbi debilitati, in hac meridionali Germaniae parte morari coguntur. Priora igitur symptomata observandi nulla est occasio; innotescunt medico tantum per quaestiones, si modo ad has aeger definite respondere potest. Sunt autem: Lassitudo enormis, quae illum paucis passibus factis considerare vel decumbere cogit. A levissimo labore non modo fatigatur, ac si maximo conatu laborasset; sed dolores etiam sentit per omnes musculos, in primis lumborum crurumque; qui sensus, ubi e somno brevi et inquieto expergiscitur, gravior fere est quam antequam cubitum iret.

Ad primum aegrotum, (fabrum scri-niarium ex oppido Heyde in Holsatia) tertio demum postquam Erlangam ve-

nerat, die vocabar. Decumbebat in lecto, difficile respirans et post motum minimum difficilius, facie pallide flava, foetente anima, gingivis tumidis, calidis, prurientibus, quin etiam dolentibus, e quibus sanguis, saepe sponte, sine attactu externo vel pressione profluebat. Dentes plures vacillabant. Pedes paullulum tumescebant, et dolores rheumaticos sentire querebatur aeger in pectore, ventriculo, intestinis, in regione renum et vesica urinaria, alternantes,

Curavi illico, ut ex Sedi acris herbae duae unciae succi exprimerentur, succus expressus cum dimidia parte mellis commisceretur, aquae Cinnamomi modica quantitate dilueretur, duabusque horis elapsis semper cochlear dimidium adsumeretur.

Gingivae tinctura e partibus aequalibus Essentiae corticis peruviani, Myrrhae

s. kali paratae, Terrae Catechu, et Spiritus Cochleariae parata illiniebatur, atque os decocto Salviae eluebatur.

Excepto jusculo carniū tantummodo olera recentia, pro potu aquam puram accepit. Desiderio aegrotantis satisfactorus hanc cum succo citri commisceritur curassem. Sed efficaciam solius Sedi contra Scorbutum experimento cognoscere cupiens, hoc intermisi.

Hac methodo cura continuabatur, ita tamen, ut sensim minus mellis, plus vero succi Sedi adsumere juberem. Quod quidem tam prospere successit, ut aegrotus, quatuordecim dierum spatio elapso, pristinam recuperaverit valetudinem.“

II.

„Chirurgus nauticus, annorum triginta sex, qui inter copias auxiliares Germanicas in America septemtrionali meruerat,

auctumno nebuloso ac frigido, sub frequenti pluvia, in patriam redux, variis incommodis vexabatur, quae, Scorbuti praenuntia, animum ipsius summopere adfligebant eumque ad munia officii ob- eunda segnem reddebant. Plerumque le- eto adfixus, vires suas magis magisque prosterni querebatur. Os, labia et gin- givae expallescentes tumefiebant; carun- culae lacrymales quasi virescentem colo- rem habere videbantur. Foetebat anima, gingivae tumeabant cruentae, sanguinem saepe levissimo attactu reddentes. In ge- nubus sentiebat pressionem tantamque rigiditatem, ut vix surgere posset; tum vero plenariam eorundem relaxationem; titubabat ire volens, ubique aliis cor- poribus manu prehensis se sustinere co- actus.

Haemorrhoides, alias raro fluentes, largius promanare coeperunt, ejusque vires, sicut diarrhoeae saepius redeun-

tes, magis magisque exhauriebat. Pruriebat cutis, eaque vel scalpita vel fricata, exanthema oriebatur miliare papulosum, coloris saturate saepius livide purpurei, brevi evanescens. Postremo maculae lividae in pectore, brachiis et cruribus apparuere, magnitudine atque latitudine diversae, saepius longitudine digiti, quae aegrotum adeo tristem reddiderunt, animumque ita depresserunt, ut semper oculis lacrymae inhaererent.

Tandem navis feliciter ad litus adpellebatur. Jam eminus visa terra, tanta apud illum laetitiae vis fuit, ut ipse descendere satis validum se crederet; at quum pedes labantes hoc non permitterent, in nosocomium portabatur.

Alimentis e vegetabili regno, usu frequenti succi malorum citreorum in potu, usuque interno extracti Menyanthis trifoliatae (cui in nosocomio illo

magna habebatur fiducia), externoque Boracis cum Robe dianucum, quo gingivae illinebantur, intra aliquot hebdomades ita reficiebatur, ut plaustro in quo sarcinae cohortis suae transvehebantur, impositus in patriam redire potuerit.

Brevi autem denuo morbus adeo recrudescebat, ut non procul ab Erlanga in itinere subsistere cogeretur; ubi illum invisi.

Similiter fere, ut priorem, illum tractavi; praeterquam quod Sedi acris succum tantummodo refractis dosibus cum dupla Syrupi de Cinnamomo quantitate, saepius vero, praebendum curavi; post singulas scilicet duas vel sesquialteras horas succi cochlear parvum cum duobus Syrupi de Cinnamomo accipiebat. Gingivas succo Sempervivi tectorum cum melle rosato, odore foetido autem cessante, Essentia gingivali ex Ess. Cort. peruv., Myrrhae, Terr. Catechu, Gumm. Kino

et Spir. Cochleariae composita, penicillo illinere imperavi.

Dimidio mense nondum elapso jam multo melius valebat aegrotus; jussi vero, ut quiete frui pergeret, donec ad iter pedibus continuandum vires recuperasset. Primum quidem diaeta utebatur sola vegetabili; pro potu autem cerevisia lupuli majori quantitate condita. Sensim vero ad pristinam vitae rationem rediit.

§. X.

Doses. Cautelae.

Quod ad formam, pondera et mensuras attinet, quibus Sedum acre exhibitum fuit, haec ex iis quae superioribus paragraphis attuli, satis perspicui possunt. Dosin semper aegrotorum indoli accommodandam esse, sapienter b. van SWIETEN monuit, ubi in Commentar. ad BOERHAAV. Aph. Tom. III. p. 626. ad §. 1161.

de ejus usu in Scorbutto loquitur; immo hanc plantam frigidis nec facile irritabilibus corporibus potissimum dandam esse, praecipit. Similiter BOERHAAVIUS illam proprie morbis a causa frigida ortis, et in quibus calor non est nimius, curandis idoneam esse, docet, seque ut ea interne adhibeatur, ob summam acridinem non suadere fatetur in libro supra laudato. Nec potest negari, Sedum acre, incaute et incongrue datum et adsumtum, interdum incommoda aliqua peperisse. Sic femina quaedam ob lactis defectum decoctum lentium instar coffeae saturatum bibit, Sedumque vermiculare in ovis frixum eandem ob causam edit, ardorem vero ventriculi, quem exhalationibus sulfureis comparavit, per septem annos continuantem sibi concitavit; ut BAEVMLINVS in *Commerc. liter. Norimb.* an. 1739. p. 124. adnotavit. Facile itaque Sedum acre in suspicionem venire posset, ac si inter venenatas referri debeat. Ex harum censu autem diserte

excluditur a SPIELMANNO in diss.' de vegetabilibus venenatis Alsatiae pag. 66. propterea quod, non magis quam alia medicamenta activa, recte administrata, umquam noxas seu graviora damna excitaverit, tantum abest, ut in vitae discrimen aliquem adduxerit, qui eo sit usus. Ex omnibus itaque, hactenus allatis, liquide fluere mihi videtur, Sedum acre satis tutum esse medicamentum, in praxi clinica non adeo reformidandum, ut duumviri antea laudati, medicorum sui temporis principes, quod ipsorum pace dixerim, opinati sunt, si modo convenienti loco, tempore ac ratione adhibeatur.



CORRIGENDA.

Pag. 6. supplendus est numerus paginae.

*Pag. 19. lin. penult. leg. quoque crystallorum
salis*

Pag. 31. lin 15. leg. ut et in opere

THE
LIBRARY OF THE
MUSEUM OF NATURAL HISTORY
AND
ZOOLOGY
OF THE
CITY OF LONDON

CONTENTS

Page 1. Introduction
Page 2. The first part of the book
Page 3. The second part of the book
Page 4. The third part of the book
Page 5. The fourth part of the book
Page 6. The fifth part of the book
Page 7. The sixth part of the book
Page 8. The seventh part of the book
Page 9. The eighth part of the book
Page 10. The ninth part of the book
Page 11. The tenth part of the book
Page 12. The eleventh part of the book
Page 13. The twelfth part of the book
Page 14. The thirteenth part of the book
Page 15. The fourteenth part of the book
Page 16. The fifteenth part of the book
Page 17. The sixteenth part of the book
Page 18. The seventeenth part of the book
Page 19. The eighteenth part of the book
Page 20. The nineteenth part of the book
Page 21. The twentieth part of the book
Page 22. The twenty-first part of the book
Page 23. The twenty-second part of the book
Page 24. The twenty-third part of the book
Page 25. The twenty-fourth part of the book
Page 26. The twenty-fifth part of the book
Page 27. The twenty-sixth part of the book
Page 28. The twenty-seventh part of the book
Page 29. The twenty-eighth part of the book
Page 30. The twenty-ninth part of the book
Page 31. The thirtieth part of the book
Page 32. The thirty-first part of the book
Page 33. The thirty-second part of the book
Page 34. The thirty-third part of the book
Page 35. The thirty-fourth part of the book
Page 36. The thirty-fifth part of the book
Page 37. The thirty-sixth part of the book
Page 38. The thirty-seventh part of the book
Page 39. The thirty-eighth part of the book
Page 40. The thirty-ninth part of the book
Page 41. The fortieth part of the book
Page 42. The forty-first part of the book
Page 43. The forty-second part of the book
Page 44. The forty-third part of the book
Page 45. The forty-fourth part of the book
Page 46. The forty-fifth part of the book
Page 47. The forty-sixth part of the book
Page 48. The forty-seventh part of the book
Page 49. The forty-eighth part of the book
Page 50. The forty-ninth part of the book
Page 51. The fiftieth part of the book
Page 52. The fifty-first part of the book
Page 53. The fifty-second part of the book
Page 54. The fifty-third part of the book
Page 55. The fifty-fourth part of the book
Page 56. The fifty-fifth part of the book
Page 57. The fifty-sixth part of the book
Page 58. The fifty-seventh part of the book
Page 59. The fifty-eighth part of the book
Page 60. The fifty-ninth part of the book
Page 61. The sixtieth part of the book
Page 62. The sixty-first part of the book
Page 63. The sixty-second part of the book
Page 64. The sixty-third part of the book
Page 65. The sixty-fourth part of the book
Page 66. The sixty-fifth part of the book
Page 67. The sixty-sixth part of the book
Page 68. The sixty-seventh part of the book
Page 69. The sixty-eighth part of the book
Page 70. The sixty-ninth part of the book
Page 71. The seventieth part of the book
Page 72. The seventy-first part of the book
Page 73. The seventy-second part of the book
Page 74. The seventy-third part of the book
Page 75. The seventy-fourth part of the book
Page 76. The seventy-fifth part of the book
Page 77. The seventy-sixth part of the book
Page 78. The seventy-seventh part of the book
Page 79. The seventy-eighth part of the book
Page 80. The seventy-ninth part of the book
Page 81. The eightieth part of the book
Page 82. The eighty-first part of the book
Page 83. The eighty-second part of the book
Page 84. The eighty-third part of the book
Page 85. The eighty-fourth part of the book
Page 86. The eighty-fifth part of the book
Page 87. The eighty-sixth part of the book
Page 88. The eighty-seventh part of the book
Page 89. The eighty-eighth part of the book
Page 90. The eighty-ninth part of the book
Page 91. The ninetieth part of the book
Page 92. The ninety-first part of the book
Page 93. The ninety-second part of the book
Page 94. The ninety-third part of the book
Page 95. The ninety-fourth part of the book
Page 96. The ninety-fifth part of the book
Page 97. The ninety-sixth part of the book
Page 98. The ninety-seventh part of the book
Page 99. The ninety-eighth part of the book
Page 100. The ninety-ninth part of the book
Page 101. The hundredth part of the book

2 3







